

DE RERVM NATVRA VI

tecta viam propter non magno pondere tota,  
nec minus exsultant res dupuisit cumque viai 550  
ferratos utrimque rotarum succutit orbis.

fit quoque, ubi in magnas aquae vastasque lacunas  
gleba vetustate e terra provolvitur ingens,  
ut iactetur aquae fluctu quoque terra vacillans;  
ut vas interdum non quit constare, nisi umor 555  
destitit in dubio fluctu iactarier intus.

Praeterea ventus cum per loca subcava terrae  
collectus parte ex una procumbit et urget  
obnixus magnis speluncas viribus altas,  
incumbit tellus quo venti prona premit vis. 560

tum supera terram quae sunt exstructa domorum  
ad caelumque magis quanto sunt edita quaeque,  
inclinata minent in eandem prodita partem  
protractaeque trabes impendent ire paratae.  
et metuunt magni naturam credere mundi 565

exitiale aliquod tempus clademque manere,  
cum videant tantam terrarum incumbere molem!  
quod nisi respirent venti, vis nulla refrenet  
res neque ab exitio possit reprehendere euntis.

nunc quia respirant alternis inque gravescunt 570  
et quasi collecti redeunt ceduntque repulsi,  
saepius hanc ob rem minitatur terra ruinas  
quam facit; inclinatur enim retroque recellit  
et recipit prolapsa suas in pondera sedis.

hac igitur ratione vacillant omnia tecta, 575  
summa magis mediis, media imis, ima perhilum.

Est haec eiusdem quoque magni causa tremoris,